



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XVIII. Explicatur secunda prærogatiua ex modo quo ab Euangelistis
Apostoli numerantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

CAPVT XVIII.

Explicatur secunde prerogatiua ex modo quo ab Euangelistis Apostoli numerantur.

ALTERA Petri prerogatiua est, quod cum ab Euangelistis nominantur Apostoli, vel omnes, vel aliqui, semper primo loco ponitur Petrus. Matt. 10. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hec, primus Simon, qui dicitur Petrus, &c.* Similiter legimus Marc. 3. Luc. 6. Actor. 1. quod autem hoc non sit factum, quia Petrus fuerit primus à Christo vocatus, certum est. Nam Andream Dominus primùm vocauit, vt Ioannes testatur, cap. 1.

Sed occurrunt **MAGDEBURGENSES** qui Cent. 1. lib. 2. cap. 7. col. 524. dicunt, Petrum vocari primum vel propter insignia sua dona, vel propter ætatem, quia nimirum erat omnibus senior, non quia esset caput aliorum. Capite autem 10. col. 561. scribunt, casu factum esse vt Petrus primus in Catalogo poneretur. Debit enim aliquis primo loco numerari, casu autem Petrus occurrit.

Sed nulla harum rationum aliquid valet. Non prima, nam vel loquuntur de insignibus donis, quæ Petrus habuit in ordine ad Ecclesiam, vt quod accepit singulariter clauis, quod factus est fundamentum Ecclesie, quod constitutus est pastor omnium ouium Christi, &c. & tunc pro nobis loquuntur. Vel loquuntur de donis personalibus & propriis, id est, de virtutibus eius; & tunc falsum est quod dicunt. Nam Euangelista non facile scire potuit, nec iudicare ausus fuisset, quis esset inter Apostolos optimus, præsertim cum sciret Ioannem fuisse virginem, Petrum coniugatum; & Ioannem eundem ita diligere videret à Domino, vt vocaretur *discipulus, quem diligebat Iesus*. Nec ignoraret Iacobum minorem tanta sanctitate præditum, vt iustus & frater Domini ab omnibus diceretur.

Quod verò de ætate dicunt, pugnat cum veterum traditione. Nam **EPIPHANIUS** hæret. 51. quæ est Alogorum: *Occursus*, inquit, *Andree primus contigit, cum esset Petrus minor tempore ætatis*. **HERONYMUS** quidem lib. 1. in Iouinianum dicit, Ioannem non fuisse electum in caput aliorum, quia erat penè puer: at Petrum fuisse omnibus seniore non

dicit. Adde quod MAGDEBURGENSES Cent. I. lib. I. cap. 10 in vita Andreae, probabile esse dicunt Andream seniore[m] Petro fuisse.

Quod etiam non sit factum casu, quia nimirum debuit vnus primus in Catalogo poni, & casu occurrit Petrus: sed quod sit positus Petrus primus ratione dignitatis, patet ex duobus. PRIMVM ex modo enumerandi; nam Petrum nominatim Matthæus vocat primum, deinde ceteros non vocat vnum secundum, alium tertium, &c. sed sine vlla obseruatione ordinis nominat.

Itaq; inter Petrum & ceteros ordinem esse, Matthæus docet; quia Petrus superior est, ceteri inferiores: at inter alios nullum statuit ordinem, quia sunt omnes æquales; vt rectè annotauit Albertus Magnus in commentario huius loci: & ex hoc nomine, *primus*, deducunt Patres primatum, quam vocem tantoperè oderunt hæretici. Nam vt à principe principatus, à consule consulatus; sic à primo fit primatus. Hic AMBROSIVS 2. Corinth. 12. *Prior Andreas sequutus est sequatorem: sed primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* AVGVSTINVS tractat. vlt. in Ioan. *Petrus*, inquit, *propter Apostolatus sui primatum, &c.* Certè autem primatus nō dicitur de eo, qui casu scriptus est primus in Catalogo, sed qui iure & merito scribitur primus, propter gradum & auctoritatem suam.

SECUNDO idem colligitur ex eo, quod ordo aliorum permutatur: Petrus autem semper ponitur primo loco. Nam Matt. 10. post Petrum ponitur Andreas; Marc. 3. post Petrum est Iacobus; Luc. 6. post Petrum numeratur quidem Andreas, sed mutatur ordo ceterorum: nam Matthæus anteposuit sibi Thomam, & Simonem Zelotem anteposuit Thaddæo. Lucas autem anteposit Matthæum Thomæ, & Thaddæum Simoni. Act. 1. post Petrum ponitur Ioannes, & in ceteris etiam magna mutatio inuenitur.

Pari ratione vbi nominantur duo vel plures, semper ponitur primus Petrus. Mar. 5. & Luc. 8. *Non admisit quemquam sequi, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Luc. 22. *Misit Petrum, & Ioannem.* Matth. 17. *Assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem.* Marc. 13. *Interrogabant eum Petrus, Iacobus, Ioannes, & Andreas.* Ioan. vlt. *Erant simul Simon Petrus, & Tho-*

mas, & Nathanaël, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Vides ubique Petrum esse primum, quod sine dubio casu factum esse non potest.

Vnus tantum est locus ubi Petrus non nominatur primo loco, nimirum Galat. 2. ubi dicitur Iacobus, Cephas, & Ioannes. Sed non est certum, an Paulus sic dixerit. Nam Ambrosius, Augustinus, & Hieronymus in hunc locum, & in textu, & in cōmentario legunt Petrus, Iacobus, & Ioannes: & Chrysostomus in commentario huius loci: *Petrus*, inquit, *Iacobus*, & *Ioannes*; indicans se ita legisse; & sic credibile est Paulum esse loquutum.

Si verò admittamus debere legi, Iacobus, Petrus, & Ioannes, dicendum erit, vel cum D. Anselmo & D. Thoma in hunc locum, hoc factum esse, quia Iacobus erat Episcopus Hierosolymorum, ubi tunc erant Apostoli de quibus Paulus loquitur, vel Paulum hoc loco nullum ordinem seruasse.

Nam quod alioqui intelligeret Paulus, maiorem esse Petrum Iacobo, patet ex illa ipsa epistola ad Galatas, cap. 1. ubi dicit: *Deinde post annos tres Veni Hierosolymam videre Petrum*. Non dicit veni videre Iacobum, etiamsi ipse quoque esset Hierosolymis. & 1. Corinth. 1. *Vnusquisque*, inquit, *dicit, ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cepha, ego Christi*. Vbi aperte progreditur ascendendo, & Petrum proximum sub Christo constituit.

Neque verò Petrus solum primo loco ponitur, & primus vocatur, sed etiam passim in Scripturis describitur, ut paterfamilias, ut dux & princeps reliquorum. Nam quemadmodum Apocal. 12. dicitur Diabolus, & Angeli eius. *Michaël*, & *Angeli eius*, id est, dux & milites eius: Ita dicitur Marc. 1. *Et prosequutus est eum Simon, & qui cum eo erant*. Luc. 8. *Dixit Petrus, & qui cum illo erant*. Luc. 9. *Petrus verò, & qui cum illo erant*. Mar. 16. *Dicite discipulis eius, & Petro*. Act. 2. *Stans Petrus cum undecim*. Ibidem: *Dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos*. Act. 5. *Petrus & Apostoli dixerunt*. 1. Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* An, quæso, Cephas non erat discipulus? nõ erat Apostolus? cur ergo dicitur Petrus, & Apostoli: discipulis, & Petro? Apostoli, Cephas: nisi quia Petrus princeps, & caput aliorum erat.

Quocirca B. I G N A T I V S in epistola ad Smyrneses dicit, Christum post resurrectionem venisse ad eos, qui circa Petrum erant. Ad eandem prerogatiuam pertinet quod Petrus ferè semper loquitur nomine omnium, vt Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Luc. 12. *Ad nos dicitis hanc parabolam, an ad omnes?* Ioan. 6. *Domine ad quem ibimus?* In quem locum C Y R I L L V S ita scribit: *Per vnum, qui praeerat, omnes respondent.* Hinc etiam C H R Y S O S T O M V S homil. 55. in Matth. Petrum vocat os Apostolorum.

CAPVT XIX.

Explicantur quatuor alia prerogatiua ex Euangelio S. Matthaei.

TERTIA prerogatiua est Matt. 14. vbi solus Petrus vnà cum Domino ambulat super aquas. De qua prerogatiua sic loquitur S. BERNARDVS libro de considerat. *Instar Domini, inquit, gradiens per aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non solum populo, sed cunctis praesse deberet. siquidem aqua multa, populi multi.* Simile est quod narratur Ioan. 21. vbi ceteris discipulis in nauicula venientibus ad Dominum, qui in littore expectabat, Petrus se misit in mare & natando venit. De quo B. Bernardus ibidem: *Quid istud? nempe signum singulari Pontificij Petri, per quod non nauem vnã, sed ceteri quisque suam, sed seculum ipsum suscepit gubernandum. mare enim seculum est, naues Ecclesie.*

QVARTA prerogatiua est, illa peculiaris reuelatio facta soli Petro, Matth. 16. insigne enim priuilegium est, quod Petrus primus omnium Apostolorum a Deo edoctus, cognouerit summa mysteria nostrae fidei, distinctionem videlicet personarum in Deo, & incarnationem. Nam etsi antea non raro Christus vocatus fuerat Filius Dei, vt Matth. 14. cum dixerunt discipuli: *Verè Filius Dei es.* Et Ioan. 1. cum dixit Nathanaël: *Tu es Filius Dei,* tamen isti vocabant Filium Dei Christum, eo modo quo omnes Sancti dicuntur Filij Dei. At Petrus intellexit, Christum esse Filium Dei verum, ac naturalē. Quod patet cum ex textu Græco, vbi omnia exprimuntur cum articulis